SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS
THEORETICES PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII
SERENISSIMIQVE DVCIS SAXONIS GOTHANI
ET ALTENBVRGENSIS CONSILIARII AVLICI
H. T.
FACVLTATIS MEDICAE DECANI

PROLVSIO

DE

INSIGNI FAVCIVM TVMORE ET ANGORE, MOLESTISSIMO CIRCA SALIVATIONEM MERCVRIALEM SYMPTOMATE, EVITANDO

PVBLICAE INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

MORBO HVNGARICO SIVE FEBRE CASTRENSI

D. XIX. IVNII HABENDAM

PRAEMISSA.

IENAE D. XVIII. IVNII MDCCXLI.

LITTERIS SCHILLIANIS.

Remediis heroicis et praeſtantiſſimis in foro Medico merito adnumerandam eſſe putamus ſaliuationem mercurialem, ceu qua non ſolum rebelles per veneream contagem contracti, ſed et varii alii graues, ſeri tum viſciditati, tum acrimoniae ortum ſuum debentes, morbi feliciter proteri et extirpari poſſunt.

Verum enim vero dolendum eſt, quod non omnes medicinam facientes methodum calleant hanc curam ita inſtituendi, vt eadem tuto et pacate, h. e. citra grauiſſimorum et periculoſorum ſymptomatum concurſum eueniat. Enim vero non ſatis prouide eadem ſuſcepta, aliquando adeo periculoſa gignit ſymptomata, vt huius curae non ſatis gnari ab ea abſtinere debeant, et ideo illam in hoc vel iſto ſubiecto plane impoſſibilem proclament, nec fructum, qui ab ipſius felici ſucceſſu expectandus erat, cum aegroto decerpere queant: qui tamen ab altero medico, alio tempore curam admodum caute inſtituente, cum aegri ſuique commodo ac gaudio deguſtari poteſt.

Inter ſymptomata, felicem ſucceſſum ſaliuationis mercurialis impedientia, eminet certe inſignis faucium tumor et angor, quo aliquando ita corripiuntur, qui huic ſe ſubmiſere curae, vt ipſis ſumma deglutitionis difficultas eueniat, et praefocatio fere immineat, adeoque a negotio coepto ſit deſiſtendum.

Cauſa phaenomeni huius minus felicis referenda eſt vel ad minus prudentem praeparationem aegroti pro ſaliuatione mercuriali ſuſtinenda, vel minus caute factum adminiſtrationis actum ipſius, vel denique ad errores in diaeta admiſſos.

Praeparatio non decenter fit, quando in ſubiectis ſeroſis non praemittitur purgatio, vt adeo ſerum in admodum magna copia praeſens et a mercurii operatione commotum, copioſius cum ſanguine ad oris et faucium glandulas ſaliuales confluat, quam vt ibidem conuenienter ſecerni et excerni queat, ſed potius congeratur, vnde faucium, ac ſummarum partium deglutitioni et reſpirationi inſeruientium, tumorem et angorem conſequi neceſſe eſt: id quod etiam facile cum maiori inflammationis et periculi gradu euenire ſolet, quando plethora, ſicubi praeſens fuerit, ſufficienti ſanguinis miſſione non fuerit imminuta. Idem dictum eſto de omiſſione potationis decocti lignorum ad octo circiter dies ante ipſam exhibitionem et applicationem medicamentorum mercurialium. Etenim tale decoctum egregiam habet vim ſerum viſcidum reſoluendi, fluxile reddendi, et ſalia acria ipſi immerſa temperandi, adeoque ad faciliorem per glandulas exitum praeparandi. Atque pro hoc fine, corporeque ſimul magis molli et poroſo praeſtando, in ſubiectis ſiccioribus balnea ex emollientibns et reſoluentibus ſalutariter adhiberi ſimul debent.

Sed licet praeparatio pro ſuſtinenda ſaliuatione mer-

mercuriali optime fuerit facta: eadem tamen non ſuffi-cit vnice ad impediendum moleſtiſſimum in faucibus ſaliuationis mercurialis dictum ſymptoma, ſed ipſa per mercurium inſtituta debet fieri paulatim atque lente. Tutiſſimus vero ac certiſſimus ſaliuationem excitandi modus eſt per exhibitionem internam ☿ dulc. rite praeparati, ac bis vel ter rectificati, cum extr. fumar. ac lign. guaiaci in forma pilulari, et applicationem vnguenti, mercurium viuum recipientis, ad vnum alterumue corporis noſtri articulum ſolum. Quem ſane modum per tot annos in praxi noſtra ſemper ſalutarem deprehendimus, et alii ante nos, et nobiſcum egregii medici, ſi modo omnia ſatis caute ac conuenienter fuere facta, quae facienda fuere.

Interne nempe ita ☿ dulc. exhibendus eſt, vt a gr. jv. fiat initium, et primo die duo, mane, et duo poſt meridiem hora quarta vel quinta propinentur in dicta forma; ſecundo gr. vj. nempe mane iij, et veſpere primo iij; tertio die gr. viij, et quarto die gr. x. partitis nempe doſibus, dictoque tempore. Vltra decem grana non aſcendimus pro duabus doſibus vno die, ſed, ſi continuatione pro excitanda ſaliuatione opus fuit, in hac doſi ſubſtitimus, eandemque reiterauimus ad vnum alterumue diem, donec nempe aliquis, ſed leuior ſolum dolor, ardor, et tumor in faucibus et ore ortus fuerit, et ſaliua bene ac largius profluere inceperit.

Pari ratione vnguentum mercuriale paulatim ac lente adhibuimus, recepimus nempe corii mollis tres vel quatuor portiones, tres digitos transuerſos latas, et eiusmodi longitudinis, vt duae carpis, duae vero malleolis pedum circumdari poſſent, quas vnguento mercuriali noto illiniuimus, ad dicta loca applicauimus, et ibi vsque ad diem tertium reliquimus citra inunctionem manu a chirurgo vel aegroto factam. Sic mercurius paulatim ac

optime ingreditur corpus; ac per iſtud ſe diffundit. Quando vero nondum ſigna inſtantis ſaliuationis apparuere, repetiimus applicationem coriorum de nouo inunctorum alternis diebus, cum vſu interno mercurii dulcis tam diu, donec ſaliuatio procederet. Hac vero nimis imminuta, nondum tamen ſufficienti viſa pro morbo extirpando, mercurium dulcem denuo in forma pilularum parua doſi aliquot vicibus, vel vnice dedimus, vel ſimul vnguentum mercuriale dicta ratione adhibuimus.

Pro potu inſeruiit decoctum temperatiſſime calidum lignorum, palato non ingratum ac quidpiam de glyzyrrhiza et paſſulis minoribus recipiens. In prandio vero et coena conceſſimus cereuiſiae tenuis libram vnam P. M. cum iuſculis parum ſalitis, ouis tremulis, cibisque mollioribus. Ante omnia vero aegrotus per totum ſaliuationis decurſum die nocteque ſe in hypocauſto temperate calido, et maximam temporis partem in lecto continere debuit. Exhibuimus etiam circa noctem ſemper doſin mixturae ex eſſ. alexiph. lign. ſuccin. et lign. aloës compoſitae: quando vero nullus mercurius dulcis fuit propinatus, bis de die eandem mixturam dedimus, et ſimul pro collutione oris decoctum ſecundarium lignorum cum floribus maluae arboreae, pap. rhoead. ſirup. moror. et melle roſato paratum moderate calidum commendauimus.

Hac via pede lento in excitanda ſaliuatione mercuriali ſemper progreſſi ſumus, atque ita feliciter, vt citra notabiliorem faucium tumorem et angorem ſemper fine noſtro fuerimus potiti, nec a negotio ſuſcepto deſiſtere opus habuerimus, vti ſaepe fit, quando quidam nimis largis mercurii dulcis praebiis et frequentiori ac copioſiori vnguenti mercurialis vſu eandem prouocare ſtudent. Si enim vllibi in Medicina valet dictum iſtud:

Natu-

Natura vult duci, non pelli; id ſane circa ſaliuationem mercurialem obtinet. Duodecim fere elapſi ſunt anni, cum duo vlcera venerea rebellia in femina quadam, quorum vnum circa radicem naſi, alterum in ſummitate frontis erat reperible, ſaliuationem mercurialem expoſcerent. Nulla enim arte conſtanter occludi potuere: ſed referebat mihi medicinae candidatus quidam, qui tunc curae praeerat, iam a duobus medicis ſaliuationem in hac femina fruſtra eſſe tentatam: nam ob ſummum faucium tumorem et angorem, qui praefocationem minatus eſſet, ipſis ab hoc negotio deſiſtendum fuiſſe, et idem fatum nos quoque eſſe experturos, audacter fere pronunciabat. Aſt intrepidi methodo noſtra lenta ac pacata, huc vsque expoſita, eandem inſtituimus, et citra hoc ſymptoma moleſtiſſimum ſaliuationem ſufficientem prouocauimus, qua aegra ſanitati plenariae fuit reddita.

Poſſemus equidem plura hoc de negotio exponere, ſed vix iis opus eſt, cum quae dicenda forſan reſtare videantur, a prudente lectore medico e iam prolatis ſufficienter aeſtimari queant: quare nos moribus noſtris receptis conuertimus ad laudabilem vitae ac ſtudiorum hiſtoriam clariſſimi et digniſſimi noſtri ſummorum artis ſalutaris honorum Candidati,

IOANNIS SIGISMVNDI KREYSELII,

quam ſatis bene ab ipſo conſignatam cum B. L. communicare non dubitamus.

Natus ſum A. 1717. d. 5. Septembris, parentibus honeſtiſſimis, hucdum, quae DEI eſt gratia, viuis, patre nempe ANDREA KREYSEL et matre ANNA, nata KELERIA, in

in libera et Regia Ciuitate ſuperioris Hungariae, Bartfa. Illi multum ſolliciti erant, vt futuro meo commodo conſulerent; hinc me commiſerunt priuatiſſimis inſtitutionibus Clariſſ. virorum, MÜLLERI, TREÜTMANNI, SIMONIDIS, IANOSSIKII, qui in inſtillandis principiis veri DEI cultus et humanioribus doctrinis induſtrios et ingenuos ſe praebuerunt. Quo maiora in his caperem incrementa, impoſita mihi eſt ſcholae patriae frequentatio, in qua quidem Viros humaniſſimos, Dn. FLESKO, et Dn. CHRISTIANI, nec non Virum Clariſſ. et Doctiſſ. MARTINVM DVBOVSZKY, Rectorem ſcholae meritiſſimum, habui praeceptores fideliſſimos. In hac cum ad ſyntaxeos claſſem perueniſſem, et huius principia delibaſſem, conſulto viſum fuerat parentibus cariſſimis, vt peregrinas ſcholas viſitarem. Igitur Anno 1731. Menſe Ianuario miſſus ſum Iaurinum in gymnaſium propter Arrabonem celebre, vbi Rhetorum numero adſcriptus, ſub Viro Clariſſimo, Doctiſſ. IOANNE SZASZKY, Rectore lycei illius tum temporis digniſſimo, id, cuius cauſſa eo me contuli, excolere licuit. Hic, dum ſeſquialterum annum commorarer, euocato hoc praeceptore ſolertiſſimo a Poſonienſibus, apud quos hucdum diligentiſſimi Con Rectoris munere fungitur, mihi demandatum eſt a parentibus, vt me eidem Poſonium comitem itineris A. 1732. menſe Iulio adiungerem; ſub cuius prudentiſſima manuductione, per aliquod adhuc tempus, propoſitum proſecutus ſum. Contigit mihi tandem praeceptor, non minus ac priores, verſatiſſimus, gymnaſii huius vbique clari Rector aeſtumatiſſimus, Vir Clariſſ. Doctiſſ. FRIDERICVS GVILIELMVS BEER, qui et in Theologicis, et Philoſophicis, et Hiſtoricis docendis indefeſſum ſe oſtendit. Sub huius directione vltra biennium ſtudiis incubueram; poſtea libuit iis, ex quorum auctoritate pendeo, me domum auocare; adeoque derelictis Muſis Poſonienſibus, A. 1735. menſe Decembri, eo iter ſuſcepi. In patria quantiſper moram trahens A. 1736. menſe Maio, parentibus ita volentibus, Thorunium

runium in Polonia Boruſſica conceſſi, in cuius gymnaſio habebam praeceptores addictiſſimos, Profeſſores publicos Excellentiſſimos, Virum puta maxime reuerendum Rectorem vigilantiſſimum, iam beatum Magiſtr. PETRVM IAENICHEN in Theologicis et Logicis; Experientiſſimum Dn. PETRVM SCHVLTZIVM Med. D. tunc Pro-Rectorem, publice in caeteris partibus Philoſophiae, priuatim in Phyſicis et Medicis; plurimum reuerendum IACOBVM ZABLERVM, exulem olim patria mea, in Hiſtoria literaria; Dn. GODOFREDVM VEISSIVM in Geographicis, et Dn. SAMVELEM THEODORVM SCHOENVALD in Matheſeos partibus quibusdam. In hac Muſarum ſede anno fere transacto cogitabam, qua ratione ſcopo meo propius accederem; hoc vero futurum perſpexi, ſi Athenas Salanas adirem; et talia animo voluens accepi mandatum parentum, vt me in hoc Muſarum domicilium conferrem. Obſecutus ſum huic, et A. 1737. menſe Aprili, Thorunio relicto, die 11. Maii, Atheneum hoc celeberrimum ſalutabam. Tenebat tum temporis faſces Academiae, Vir Illuſtris et Magnificus IOANNES GEORGIVS ESTOR, Iurisconſultus celeberrimus, qui me inter Academicos recipiebat ciues. Quo facto, DEO propitio, operi manus admoui, in quo tractando praeceptores nactus ſum fideliſſimos ac eruditiſſimos. Excellentiſſimum Dn. STELLVAGEN, P. P. E. iam beatum, tunc Magiſtrum Philoſophiae, Logices et Metaphyſices principia ſolide docentem audiui. E Clarisſimis Magiſtris, MÜLLERO, Vinarienſi, praecepta Philoſophiae moralis ſtrenue tractante; et VEGNERO, Hiſtoriam vniuerſalem, mihi diſcenda propoſui. Virum Illuſtrem et Excellentisſimum Dn. Conſiliarium HAMBERGERVM, Matheſin et Phyſicam tradentem accuratisſime, in his praeceptorem habebam. Quibus abſolutis proximius ad culturam ſcientiae Medicae accesſi, et collegiis ſolidisſimis

huius inclyti viri, puta Anatomico, Phyſiologico, Chemico, Materiae Medicae, Pathologico, Semiotico, de praeſcribendis formulis, Chirurgico, et Methodo medendi, interfui. Excellentisſimi et Experientisſimi Dn. Conſiliarii et Archiatri KALTSCHMIDII collegium in caſus practicos habitum, itemque Chirurgicum ſtrenue ſectabar. Ex Illuſtris et Magnifici Dn. Conſiliarii et Archiatri Aulici TEICHMEYERI lectionibus Botanicis, oſteologicis, diſſectionibus perquam artificioſis cadauerum vtriusque ſexus, et Medicinae Legalis ſeu Forenſis, vberrimos percepi fructus. Doctrinas ſolidisſimas Illuſtris et Magnifici Dn. Conſiliarii et Archiatri aulici WEDELII, Academiae et Facultatis Medicae Senioris maxime venerandi, tum publice Chymicas et Therapeuticas, cum priuatim practicas, familiares mihi reddere omni niſu adlaboraui.

Cum vero et Noſter in ſuo ſtudiorum curriculo ad meum prouocauerit teſtimonium, primum priuato quaſi nomine teſtor, ipſum meas praelectiones Pathologicas ad inſtitutiones celeberrimi BOERHAVE; diaeteticas ad ductum illuſtris FRIDERICI HOFMANNI; in materiam medicam et methodum praeſcribendi formulas ad Syllabum mat. med. et tabulas de medicam. compoſ. extempor. b. ac illuſtris WEDELII admodum ſedulo frequeutaſſe.

Publico vero Decani nomine hoc perhibeo teſtimonium, quod Candidatus noſter indefeſſa artis ſalutaris cultura elegantisſimos ſibi in eadem comparauerit profectus, quos omnibus Facultatis noſtrae membris in duobus examinibus, quae pro licentia Doctoris gradum conſequendi ſuſtinuit, abunde probauit. Lubentisſime igitur a nobis ipſi aperta eſt cathedra medica, vt *diſ-*

ſerta-

ſertationem ſuam inauguralem de MORBO HVNGARICO ſeu FEBRE CASTRENSI publice ſub vmbone illuſtris TEICHMEYERI contra diſſentientes maſcule defendat, et ſe purpura Doctorali digniſſimum omnibus auditoribus exhibeat, quod etiam in ſolemni panegyri craſtina luce, huius menſis XIX. ipſum egregie praeſtiturum eſſe non ſperamus ſolum, ſed plane confidimus.

Vt vero actus hic eo magis exſplendeſcat, Magnificum Pro-Rectorem, illuſtrisſimos S. R. I. Comites, venerandos Academiae Patres, Hoſpites et almae artis Fautores O. O. honoratisſimos perofficioſe et amice, Collegii Medici nomine, oro rogoque, velint gratioſam et beneuolam ſuam praeſentiam eidem commodare et hac ipſa inſigne decus gloriamque amplam conciliare. P. P. ſub ſigillo Facultatis Medicae MDCCXLI.

D. XVIII. Iunii.

L. S.